



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

VI. Hominis nobilitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

mensis sibi laboribus: quia corpus quod corrūpitur aggravat animam, & paullatim ipsa sese agendi vivacitas exedit, & arden- do lucendóque velut cerei decrescit atque consumitur. Aliter longè res habet in Providentiæ divinæ curis. Neque enim multitudine distrahitur ac distenditur, nec longitudine aut difficultate fatigatur. Quemadmodum creando labor nullus adhibitus est, vox unica ac voluntas suffice- cit: ita & conservando velle ac dicere sufficiet. Et quamvis Deus Angelorum hominúmque ministerio, ad generis hu- mani gubernationem, utatur, vicariós- que habere, & eis obediri velit, ad rerum ordinem decentiorem: vicarii tamen nul- lius operâ indiget, & per se nihilominus administrationem singulorum attingit.

VI. Audiendus iterum Augustinus in  
*Hominis nobilitas.* Psalm. 148. *Fecit Deus calum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & te. Parum dico te, passerem, locustam, vermiculum. Nihil horum non ille fecit, & cura est illi de omnibus. Noli ergo dicere, non pertineo ad Deum: pertinet ad Deum*

Deum anima tua, pertinet ad Deum corpus tuum, quia Deus fecit animam tuam & corpus tuum. Non curaret Deus hominem quemlibet, cui etiam vermiculus curæ est, quia ab ipso creatus est? Atqui nobilissima creatura est homo, etiamsi corpus solum attendas, cujus supra descriptionem attigimus. Quid si animum contemplare, materiæ expertem, mortis nescium, compotem sui, capacem Dei? Deus enim, ut loquitur Lactantius lib. de Ira Dei cap. 4. *Sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se tamquam divini templi antistitem, spectatorem operum rerumque celestium.* Quare Vates Regius Psalmo 8. postquam petit: *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam reputas eum?* Respondet ipse interrogationi suæ, & ejus dignationis rationem affert: *Minuisti eum paullo minus ab Angelis.* Non reputes, ô Deus, filium hominis, quem tu ad id honoris extulisti, ut suppar incedat altis illis intelligentiis, quæ inaccessiblei tuæ lucis purissima sunt specula?